



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

17. Approbacio ministerialium, castrensiū et fidelium ecclesie dicti  
privilegii Bernhardi concessi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Nach dem Original im Königl. Staatsarchive Münster, Fürstenthum Paderborn, Hofkammerarchiv. Nr. 527, mit 11 bis auf 2 gut erhaltenen Siegeln.

17. Universis Christi fidelibus tam presentibus, quam  
 1326 futuris nos universi et singuli ministeriales, castrenses  
 4. April. et fideles ecclesie Paderbornensis, infra limites et dominio eiusdem ecclesie commorantes et bona hereditaria ibidem habentes, notum facimus et protestamur literas per presentes, quod ordinationem quandam pro conservacione iurium et honoris ecclesie nostre predictae inter reverendum in Christo patrem, dominum nostrum Bernhardum, episcopum, prepositum, decanum et capitulum ecclesie sepe dicte et eorum successores ex una et nos et nostros successores ac heredes parte ex altera hinc inde conceptam, conscriptam et per fidei dacionem loco iuramenti nomine pene vallatam et confirmatam, prout in literis desuper confectis lucidius apparet, approbamus, volentes, eam in omni sui forma, modo, condicionibus et articulis in eisdem literis expressis ratam et firmam inviolabiliter observare, adicientes, quod, si, quod absit, dominus reverendus episcopus vel sui successores predicti ordinationem talem in toto vel in parte infringere presumeret, aut contra iusticiam violare, in tali casu nobis communiter dictis dominis de capitulo, prout ipsi nobis, assistere tenebimur, ut huiusmodi ordinacio non infringatur seu violetur, sed in perpetuum firmiter observetur. E converso si dicti domini de capitulo vel aliquis ex ipsis aut ex nobis domino nostro reverendo episcopo vel suis successoribus ea, que in premissa ordinatione conscripta et expressa sunt, violare vellet aut infringere et eidem domino episcopo, vel suis successoribus contra iusticiam reluctari, ex tunc dicto domino episcopo, aut suis successoribus toto posse assistere tenebimur contra tales.

Quod fide data loco iuramenti omnes et singuli promissimus et presentibus promittimus pro nobis et nostris successoribus et heredibus universis et singulis, domino reverendo episcopo, capitulo et eorum successoribus supradictis in perpetuum inviolabiliter observare. Preterea promissimus et presentibus promittimus dictis dominis preposito, decano et capitulo, quod nos tempore creacionis futuri seu futurorum episcoporum ipsis fidelitatem non prestabimus, nec municiones ecclesie presentabimus, nisi prius de premissis fideliter observandis in omni sui forma se obligent et similem, sicut dominus noster Bernhardus, episcopus reverendus. qui nunc est, debitam faciat caucionem. Et pro noticia et evidencia firmiori presentem literam sigillis Conradi viri nobilis de Sconenbergh, Arnoldi de Haversforde, Hermanni de Herse, Florikini de Holthosen, Henrici Wenth, Luberti Westphal, Herboldi de Papenheim, Frederici de Brenken, militum, Hermanni de Brakel, Hermanni de Kalenbergh et Bertoldi Scuwen, famulorum, pro nobis universis et singulis fecimus communiri. Et nos Conradus nobilis de Sconenberg, Arnoldus de Haversforde, Hermannus de Herse, Florikinus de Holthosen, Hinricus Wenth, Lubertus Westphal, Herboldus de Papenheim, Fredericus de Brenken, milites, Hermannus de Brakel, Hermannus de Kalenbergh et Bertoldus dictus Scuwe, famuli, vice et loco omnium ministerialium, castrensium et fidelium ad instanciam, voluntatem et consensum ac requisicionem eorundem pro nobis et ipsis et eorum singulis sigilla nostra ad perpetuam rei memoriam duximus presentibus literis apponenda. Datum et actum Paderborne anno domini Millesimo CCCXXVI<sup>o</sup>, ipso die Ambrosii confessoris.